

contra Proximum commissa poterant ab Ecclesia dimitti, non sic vero peccata, quæ contra Deum committebantur; unde scribebat Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 2. *Mundantur delicta, quæ quis in fratrem, non in Deum admiserit.* Insuper dicebant, quod peccata commissa in Deum, quædam erant remissibilia, alia vero irremissibilia; proinde idem Tertullianus citato loco: *causas penitentia delicta condicimus: hæc dividimus in duos exitus: alia erunt remissibilia, alia irremissibilia...* secundum hanc differentiam delictorum, penitentia quoque conditio discriminatur: alia erit, quæ veniam consequi possit, in delicto scilicet remissibili; alia, quæ consequi nullo modo possit, in delicto scilicet irremissibili. Ulterius volebant, non omnia peccata mortalia esse irremissibilia, sed tantum gravissima; videlicet Idololatriam, homicidium, Machiam, & alia, quæ idem Tertullianus enumerat cap. 19. *Graviora & exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique & machia, & fornicatio, & si qua alia violatio templi Dei.* Denique Montanistarum mens erat, quod pro gravissimis illis peccatis, quæ dicebant ab Ecclesia remitti non posse, penitentia agenda erat, quanvis veniam ab Ecclesia non consequerentur. Idem Tertullianus testatur cap. 3. Catholicorum objectioni respondens. *Frustra scilicet agi Penitentiam, quæ caret venia: merito utique ita opponunt, quoniam hujus quoque penitentia fructum, id est veniam, in sua potestate asumpserunt...* Quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustra agatur. *Ad Dominum enim remissa, & illi exinde prostrato, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam a solo Deo exorat, quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quod Ecclesie mavult erubescere, quam communicare. Adfuit enim pro foribus ejus, & de nota sua exemplo ceteros admonet, & lacrymas fratrum sibi quoque advocat, & redit plusque negotiata, compassionem scilicet, quam communicationem.* Et cap. 19. *Hæc erit penitentia, quam & nos debere quidem agnoscimus multo magis; sed de venia Deo reservamus.*

Ex his infert Juvenius in Commentario de Sporamentis dist. 6. de Sacram. Pani-

tent. quærit. 2. cap. 1. Montanistas non expunxisse Penitentiam ex albo Sacramentorum novæ legis. Et sic probat; quia asseriebant, multa esse peccata, quæ per claves a Christo Ecclesie creditas remittantur. Et hoc quoque probat, ex pluribus Tertulliani verbis; nimirum lib. de Pudicitia cap. 2. *Causas Penitentium delicta condicimus. Hæc dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia.* Et cap. 9. *Ceterum si in hoc gestit diversa pars ovem & drachmam, & filii luxuriam christiano peccatori configurare, ut machiam, & fornicationem penitentia donent; aut & cetera delicta pariter capitata concedi oportebit; aut paria quoque eorum machiam, & fornicationem, inconcessibilia servari.* Et cap. 18. *Quod si clementia Dei ignorantibus adhuc & infidelibus competit, utique & penitentia ad se clementiam invitat, salva illa penitentia specie postfidem; quæ aut levioribus delictis veniam ab Episcopis consequi poterit, aut majoribus, & irremissibilibus a Deo solo.*

Post Montanum & Montanistas sequuntur Novatiani, de quibus dicitur, quod negaverint, Ecclesiam habere potestatem dimittendi peccata iis, qui in persecutione lapsi fuerant. Eusebius lib. 8. *Historie* cap. 43. hæc de Novatiano scripsit, quem ipse vocavit Novatus. *Ecclesia Romana Presbyter, arrogantia adversus eos elatus, quasi nulla spes salutaris ipsis posthac superesset, tametsi omnia explerent, quæ ad sinceram conversionem, parvamque confessionem pertinent, propria cujusdam sectæ eorum, qui tumore mentis elati se ipsos Catharos cognominant, auctor extitit.* Nec pariter circa Novatianos, eorumque errorem, Scriptores conveniunt; siquidem Atticus apud Socratem lib. 3. *Historie* cap. 25. eum non erroris, sed nimie duntaxat severitatis arguebat, putans Novatianum ex rigore & amore disciplinæ, non ex desperatione indulgentiæ, per Ecclesiam obtinendæ, lapsos in persecutione rejecisse. Attamen alii diverso prorsus modo discurrunt, dicentes nimirum, quod quando ipse ab Ecclesia defecit, & nondum hæresim suam formaverat, solis Idololatris in persecutione lapsis veniam denegabat, & non aliis; & hoc volunt colligi ex Eusebio lib. 6. cap. 43., & ex Socrate lib. 4. cap. 28. Postmodum ipsius Discipuli rejecerunt pariter Machos, & Adulteros,